

hec dixisset Iesus turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit: Amen, amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me. Et vt subdit D. Matth. 26. num. 24. Dixit Iesus: Va autem homini illi, per quem filius hominis tradetur; bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. Quid est, quod Dei fortitudo sic exhorret, ac turbatur spiritu? Cur Christifera caro sic turbatur? Prædicturus erat Dominus proditorem Iudæ, quem iam manifesta voce incipiebat damnare. Va autem homini illi. Inde ab ipsa voce manifestatiua vnus hominis damnationis Dei caro exhorret, & turbatur. N. D. Cyrill. Alexandr. lib. 9. in Ioan. Verosimile mihi videtur, non potuisse carnem Christi motum, quo iam expressus, atque manifestus discipulos proditorem odium offerebatur, ita sufferre, vt aliquam sper non exhorruerit. Hinc æstimare licet, quod si Dei caro sine horrore non valuit sustinere vocem vnus hominis damnationis declaratiuam, quomodo damnatus sufferet districtam suam damnationem.

Matth. 26.

Turbatur Dei caro cū voce declaratiua vnus hominis damnationis.

Cyrtillus.

QVÆSTIO XXIII.

Quare ignis inferni dicitur preparatus malis Angelis, non verò hominibus etiam malis?

162.

Job. Monac.

Magni etiam peccatoris salus speranda.

163. Irenæus.

Chrysof. Euthym. Theophyl. Peccator sua poena est auctor.

164. Gen. 9.

VR sicut inferni ignis dicitur preparatus malis Angelis, non etiam dicitur preparatus scelestissimis hominibus. Respondet primò Iobius Monachus lib. de Incarnat. 9. cap. 43. apud Bibliothecam Photij: Idcirco, ait, ignis diabolo, & Angelis eius preparatus scribitur, quoniam in nobis non inopinata sit è malo in melius mutatio, cum illi confirmata sua voluntate, nullam de se sperant reliquam fecerint. Sic peccarunt Angeli, vt nulla correctionis spes remanserit; At homines quamuis peccauerint, tamen emendationis spem retinent; imò quantumuis quis scelestus appareat, potest à suo malo separari, & in melius mutari, ideo non dicitur ignis homini preparatus, ac si credatur, & speretur, quod ipse homo virtutem sit amplexurus, vt ab æternis pœnis euadat, & felicia præmia assequatur.

Secundò. D. Irenæus lib. 3. cap. 35. Non homini, ait, principaliter preparatus est æternus ignis: sed ei qui seduxit, & offendere fecit hominem, & his Angelis, qui apostata facti sunt cum eo. Quod etiam docent D. Chrysof. Euthym. Theophyl. Ac si dicatur, Deus horrendum inferni ergastulum extruxit non hominibus, sed dæmonibus, qui totum humanum genus seduxerunt; gehennam ergo diabolis destinauit, cœlum verò hominibus; homines verò nequitia impia pertinacia sese immerferunt pœnarum abyſſo, & inferni barathro. Theophylactus: Deus ignem, ait, non preparauit hominibus; supplicium enim non fecit propter nos, sed propter diabolum: ego autem me ipsum supplicio facio obnoxium.

Cum vigilasset Noë è somno, & agnouisset quæ fecerant filij sui, ait: Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis. Dixitque, benedictus Dominus Deus Sem, Gen. 9. n. 25. 26. Maledixit Noë Chanaan, & benedixit Sem; hoc tamen discrimine, nam benedictionem Sem ait esse à Deo: maledictionem verò Chanaan non ait esse à Deo; sed tantum maledictus Chanaan, vnde

tanta discriminis ratio? Quia Deus auctor est benedictionis, non sic verò maledictionis, hanc enim vnusquisque sibi comparat, & acquirit, quod docet D. Hieron. in cap. 5. Ezech. postquam docet quod Deus auctor est eorum, quæ sunt decora, & honesta, homo verò illorum, quæ sunt fœcda, & tristia. Tunc subdit: Tale quid in maledictis inuenire poterimus.

Cum venisset Iesus trans fretum in regionem Gerasænorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes, Matth. 8. num. 28. Valde mirum quod dæmon horridam, & fœtidam sepulchrorum habitationem sibi eligat, cum ei liberum esset in quouis amæno, ac præiucundo terræ loco habitare. Cur non magis habitat inter odoriferas flores? Cur non magis intra pulcherrima hominum palatia? Ex suamet malitia, ac nequitia ad hoc impellebatur diabolus, vt se priuaret ab omni loco honesto, & decoro, seseque immergeret in turpi, ac fœtido proxt eius turpitudine exigebat. D. Paschal. lib. 5. in Matth. Digna quidem, ait, vtromq; conditio, vt qui cœlo præsidere nolunt, pascantur cadaveribus, & saginentur putredine: delicientur fœtore, quibus tota voluptas est vitij deseruire.

Pro edulio vendidit Esau suam primogenituram Iacob: Vendidit primogenita; & sic accepto pane, & lentis edulio, comedit, & bibit, & abijt, parui pendens, quod primogenita vendidisset, Gen. 25. num. 34. Quomodo in tantam stultitiam deuenit homo, vt pretio vilis edulij venderet primogenituram, cui annexa erat magna rerum possessio, regia dignitas, ac regale sacerdotium, sic vendiderit. Erat Esau omnino illa indignus, & ideo alta Dei dispositione sic factum est, vt ipse suismet manibus, suaque voluntate tantam pœnam sibi imponeret, tantumque honorum fastigium à se abdicaret, illoque priuaretur. D. Isidorus Pelusiota lib. 2. Epistol. 47. Quoniam, ait, primogenio, & regnum, & sacerdotium debebatur; porro virtute iste vacuus erat; idcirco in eam necessitatem redactus est, vt etiam sua sponte ea venderet, quo etiam inuitus spoliari merebatur.

QVÆSTIO XXIV.

Quare à supremo Rege Beatorum præmium non dicitur expressè æternum, vt ignis damnatorum?

MAXIME notatu dignum est, quod ad suos electos, ait Christus Dominus: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Non tamen expressè ipsum vocat æternum; ad reprobos verò ait: Ite maledicti in ignem æternum. Vbi expressè declarat ipsum ignem fore æternum. Cur ergo etiam hoc apertè non exprimit in præmio electorum, Fieri enim poterat vt præmium esset temporarium, etsi à constitutione mundi paratum existeret.

Respondeo. Quod cum sit Deus pronior ad misericordiam, quam ad pœnam planum, & euadens est, quod si Deus reprobis infligit pœnam æternam, multò magis suis electis concedet præmium æternum; & statim hoc infra exprimitur: Ibi iusti in vitam æternam, num. 46. Deinde cum merces assignata electis sit pro misericordia, ac eleemosyna in pauperes, æterno regno præmianda

Deus aut benedictionis, homo verò maledictionis. Hieron.

165. Matth. 8.

Spiritus malignus sibi pœnam imponit.

Paschal.

166. Gen. 25.

Pelusiota.

167. Difficilis quæstio.

168. Eleemosyna æternitatis nutrimentum.

Leo.

169. Psalm. 111.

Chald. Chrysof. Hieron. Cyprian. Gregor.

præmianda expressè non dicitur; nam beneficentia in pauperes pro appendice habet quandam beatam æternitatem, vt appositè dixit S. Leo sermone 2. Quadrages. Delicia igitur, ait, nostra sunt opema pietatis: & illis cibis, qui nos ad æternitatem nutriunt, impleamur: lateret in refectioibus pauperum, quos impendia nostra satiauerint. Cibus pauperum nutrimentum est æternitatis. Qui nos ad æternitatem nutriunt. Qui pauperi eleemosynam impendit, sibi æternitatem nutrit, vt in perpetua felicitate congaudeat.

Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi, Psalm. 111. num. 9. Dispersit, & dedit pauperibus pecuniam suam, vt exprimit Chaldæus. Iustitia, id est, eleemosyna, vt interpretatur Chrysofostomus, manet in sæculum sæculi, vt legunt D. Hieronymus, D. Cyprianus, D. Gregorius. In æternum, quid est quod cum de eleemosyna multa dici poterant, quod cum ea omnia mundantur, ac peccata redimentur, tamen de illa peculiariter decantat Regius Vates: Manet in æternum; ipsa enim eleemosyna quoddam æternitatis est pabulum. Qui nos ad æternitatem nutriunt. Et qui eleemosynam impendit sibi quoddam æternitatis nutrimentum comparat, quo æternam felicitatem promereatur.

QVÆSTIO XXV.

Quare cum in inferno varia sint tormentorum genera, solum de igne facit Dominus mentionem?

170. Prosper. D. Thom. Bonau. Abulens. Hugo.

Euseb.

171. Tertull.

In inferno quotidie profertur noua tormenta.

Hugo.

172. Itai. 42. Comparatio inferni omnia tormenta huius vite nulla.

Ivs Prosper lib. 3. de vita contemplatiua cap. 12. D. Thom. quæst. 97. art. 3. D. Bonauent. in 4. d. 50. art. 1. quæst. 1. Hugo Victorinus lib. 4. de anima cap. 13. Abulens. in cap. 25. Matth. quæst. 554. & alij multi docent in inferno varia esse tormentorum genera, ignem, frigus, fœtorem, fumum, vermes, serpentes, & procellosos ventorum impetus, atque omnium malorum dolores, vt ait Eusebius homil. 2. de Symbolo: Damnatorum corpora vitæ gaudij exuta, & solis mortis doloribus consecrata. Cur ergo Dominus de solo igne facit mentionem.

Quæstionis solutionem desumo ex Tertulliani acumine, qui in Apologet. cap. 47. ait: Si gehennam comminemur, quæ est ignis arcani subterraneus ad pœnam thesaurus. Expende vocem, thesaurus. Ex diuitis thesauro omnibus diebus, ac horis nouæ suppellectiles proferuntur, ignis ille gehennalis thesaurus est diuinæ iustitiæ, ex quo quotidie, ac omni momento noua tormentorum genera procedunt, quibus miserabilium damnatorum animæ durè, ac acerbè cruciantur, ac puniuntur. Vnde optimè ait Hugo lib. 4. de Anima: Infernus lacus est sine mensura profundus sine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore inenarrabili, plenus dolore innumerabili, ibi miseria, ibi tenebra, ibi ordo nullus, ibi horror æternus.

Ait Deus per Isaiam 42. num. 14. Tacui semper, sicut, patiens fui, sicut pariens loquar, dissipabo, & absorbebo simul. Quid dicis sanctissime Deus? Nonne feuerissimè in diluuium humanum genus punisti; ita vt omnes ferè perirent? Nonne Sodoma igne, ac sulphure à te combusta est; & terra Sylueira in Euang. Tom. 1 V.

aperiente ore suo Dathan, & Abyron viuos absorbit: Quomodo ergo dicis Domine te semper tacuisse, patientemque fuisse, cum tot durissimis verberibus homines sæpè à te sint flagellati. Merito sanè, quia si ea omnia cum æternis suppliciis damnatorum comparentur, non verba, sed silentia, non tormenta, sed blandimenta quodammodo videbuntur, ac proinde in illis omnibus castigationibus emissis in genus humanum, fuit Dominus veluti tacens, & silens, comparatione facta ad vocem contra reprobos prolata in extremo iudicio. Cum ad supplicium mittentur. D. Hieronymus ibi: Diu vos delinquentes saepe portauit, sed quia ante tacueram, nequaquam ultra reticebo. Vnquoque tempore absorbebo vniuersam gentem, & omnem superbiam montium, turresq; collium vestrorum.

Quamuis tanta sit tormentorum magnitudo. Rectè tamen ait Eusebius homil. 1. ad Monachos: Illa enim non causalis, sed rationalis, & pœnalis exustio, quia culpam inbeur inquirere, & substantiam nescit absorbere. Expende, rationalis, & pœnalis exustio. Ex Dei mandato ignis inquitit culpam, iuxta earum diuersitatem, diuersi cruciatus infliguntur, vt ait S. Maxim. ferm. de Iudicio: Stridorem dentium propter risum lasciuum, intolerabilem sitim propter voluptatem, & crapulam, peruiulium vermem propter obliquum, & malignum cor; caliginem propter ignorantiam, & fallaciam, limbum abyſſe propter superbiam.

Dicitur deinde; Substantiam nescit absorbere. Ita enim vrit vt etiam nutriat ad sui pabulum, vt dixit Lactantius Firmianus lib. 7. diuin. Institutionum, cap. 21. Idem igitur diuinus ignis quantum corporibus absorbet tantum reponet, ac sibi æternum pabulum ministrabit. Et D. Gregorius lib. 4. Dialog. Anima, inquit, illic posita bene esse perdidit, & esse non perdidit; ex qua re semper cogitur, & vt mortem sine morte, & defectum sine defectu, & finem sine fine patitur, quatenus ei, & mors immortalis est, & desertur indeficiens, & finis infinitus.

Ait Regius Vates Psalm. 74. num. 9. Calix in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc, verumtamen fœx eius non est exinanita. Videbatur Deus primo impetato totum iræ suæ vas inclinare, imò totum effundere in reprobos homines. Verum cur dicitur quod non exinanitur, quod non euacuatur? Nam fœx eius non est exinanita: quia sanè vas iræ in damnatis nunquam euacuabitur, nunquam enim eorum supplicium finem accipiet. D. Bruno ad prædictum Psalm. Verumtamen licet, ait, sit retributio, fœx eius calicis non est exinanita, quamuis illa retributio mera sit, tamen fœx eius quantum ad impios, austeras scilicet, & turbida ad modum facis, & talis fœx, quæ nunquam erit exinanita, quæ nunquam euacuabitur, sed æterna erit.

Matth. 25. Esuriui enim, & non deditis mihi manducare: sitiuui, & non deditis mihi potum.

Num. 43. Hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non cooperuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me.

FFF 3 Num. 44

Hieron.

173. Euseb.

Græcitas pœnarum pro ratione culpæ. Maxim.

174. Lactant.

Ignis torquet, & suum pabulum ministrat.

Gregor.

175. Psalm. 74.

Nunquid pœna inferni exhauritur.

Bruno.

Num. 44. Tunc respondebunt ei ipsi, dicentes: Domine quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministravimus tibi?

VERSIONES.

Vatabl. n. 42. Esuriui enim, & non dedistis mihi cibum: sitiui, & non dedistis mihi potum. Vatabl. n. 43. Peregrinus eram, & non accepistis me hospitio. Syriacus. Et in domo victorū eram, neque visitastis me. Syriac. n. 44. Ac dicent: Domine noster quando te vidimus esurientem.

EXPOSITIO VIII.

176.



SVRIVI enim. Eorum damnationis causa assignatur, viscera ferrea, ac inhumanitas in pauperes, & non dedistis mihi manducare. Singula verba peculiarem habent emphasim; Mibi, qui sum Deus vester, qui vobis omnia bona dedi, non dedistis mihi buccellam panis, cum tanta dignitas, ac merces vobis esse assignata. Quod vni ex fratribus meis fecistis, mihi fecistis. D. Chrysostomus sic ait: Singula ad condemnationem illorum sufficiunt: petitionis scilicet facilitas, & dandi potestas; panis enim petiunt: peccatis miseriam, quia pauper, atque mendicis: retributionis expetenda magnitudo; regnum enim promittitur: terror poenarum, gehenna enim incutitur: accipiens dignitas; Deus enim pauperum manibus accipit: honoris cumulus, quia tantum descendere dignatus est: ins retribuendi; summa enim iustitia est de suis ei concedere. Verum ab his omnibus cupiditate habendi retracti sunt.

Chrysost.

177.

Tunc. Ad supradicta Christi verba, respondebunt ei, non modeste, sed cum superbia, ac iracundia, & respondent accusantes potius iudicem, quam se ipsos excusantes, nec enim conuicti iudicis agnoscunt iustitiam. Pro quo recte ait D. Chrysostomus in Imperfecto: In iudicio stant, & adhuc peccare non cessant. Et dicunt Domine, supplicij metu coacti Dominum appellant. Et non ministravimus tibi, contractæ hic misericordiae exercitia enumerant, siue quia saepe repetita fuerant, siue ut ait Origenes: Impiis graue est sua discutere opera, & scelera enumerare.

Chrysost.

Origenes.

QUESTIO XXVI.

Quare miseris damnatis non obiicit Dominus, quæ furto abstulerunt, sed quod pauperi non dederunt?

178. August.

D. Augustinus respondet D. Augustinus serm. 20. de verbis Domini: Si in ignem, ait,

mittitur, qui non dedit rem propriam; putas ubi mittendus est, qui inuasit alienam? Si cum diabolo ardere habet, qui nudum non vestiuit, putas, ubi arsurus est, qui expoliavit. Si enim tanto supplicio afficitur, qui non dat propriam rem, quantānam poena ferendus erit, qui redarguitur abstulisse aliena. Diues Auarus sepultus est in inferno, Luc. 16. num. 25. non quia Lazarum spoliauerit, sed quia Lazaro aliquid non donauerit, vt ponderat D. Chrysostomus conc. 2. de Lazaro: Hic, ait, nihil à diuite accepit iniuria, neque enim illius pecunias usurpauerat diues; sed suas non impertiuit. Quod si is, qui sua non impertit, accusatorem habet eum, cui negauit misericordiam, qui aliena quoque rapuerit, quam veniam consequetur.

Gravitas, ac enormitas furci arguitur.

Chrysost.

Secundò D. Basilii Seleucus orat. 26. Quis, ait, nudum spernit, mox futurum iudicem? Quis vniuersi iudicem damnat siti? Nouit Christus pauperum manibus, donisq; capi, nouit pro munere longa supplicia remittere. Damnatis panem negatum obiicit Dominus, vt eorum stultitiam arguat, qui nudum futurum iudicem spreuerunt, eumque parua panis bucella sibi non reconciliant, vt ab eo magnam mercedem assequerentur.

179. Basil. Sel.

Tertiò Euthymius: Imitati sunt in misericordiam, inhumanumq; diabolum; nam vt ait Theophylactus; Compassionis expertes sunt diaboli, & hostiliter, atque inimice erga nos affecti. Damnatur hi ob omnia opera misericordiae, & quia crudeles fuerunt in pauperes, quod proprium diaboli est, ideo cum duce suo diabolo in perpetuum incarcerantur. Sicut enim pij viri cum piissimo Iesu remunerantur gloria æterna, sic crudeles, cum crudeli diabolo in sempiternum puniuntur. Ex quo in præfati ait Euthymius: Iustissima est aquitas, vt inhumanitas inhumanis, & misericordibus misericordia rependatur.

181. Euthym. Theophyl.

Cum necessitate premeretur Dauid in deserto, panes postulat à Nabal, quos ille duris, & asperis verbis negat; quod cum audisset Abigail vxor eius, exiit Dauid in occursum afferens liberaliter panes, & quæ ad cibum erant necessaria, quid inde factum. Percussit Dominus Nabal, & mortuus est, 1. Regum 25. num. 38. At verò Abigail sublimata est ad regnum, & facta est vxor illi, scilicet Dauid. Cur ille duram mortem inuenit, & sepultus est in infernum. Abigail eleuata est ad regnum. Vnde duo coniuges in eadem domo viuentes tam diuersum exitum habent; crudelis Nabal crudeli mortis poena multatur. Pia verò Abigail benigno fauore prosequitur, & ad regnum sublimatur. Iustissima est aquitas, vt inhumanitas inhumanis, & misericordibus misericordia rependatur.

180.

1. Reg. 25.

Pietas pietatem, crudelitatem crudelitatem inuenit.

Matth. 25. Tunc respondebit illis dicens: Amen dico vobis; quandiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis.

Num. 46. Et ibunt isti in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam.

VERSIONES.

D. Cypr. Pa. Amen dico vobis, quare vobis non fecistis vni de miji

minimis his, nec mihi fecistis.

Imperfect. Vni horum fratrum meorum minimorum.

Syriac. n. 46. Ibunt isti in cruciatum æternum.

D. August. In ambustionem æternam. tract. 21. in Ioan.

Græcus. Abibunt.

EXPOSITIO IX.

182.



RESPONDEBIT illis dicens. Reuocans in memoriam id, quod olim, cum edocti fuissent in vita noluerunt adimplere: De minoribus his, seu vt habet Syrus, Paruulis. Et non addit fratribus meis, vt supra ad electos dictum est: Vni ex minimis istis fratribus meis. Qui ergo ab impiis contempti, & despecti fuerunt, non vocat eos fratres suos, ne exaggerentur impiorum crimina, nec cresceret offensio. Vt notat Origenes in præfati: Volens autem, ait, iustorum benefacta ostendere grandia: peccatorum vero culpas non grandes; ad iustos quidem dicit: Ex eo; quod fecistis vni ex minimis istis fratribus meis mihi fecistis: ad iniustos autem sic: ex eo quod non fecistis vni ex minimis istis, nec mihi fecistis; non adiciens fratribus. Etiam in ipso sermone iudicij suam pietatem Christus ostendit, dissimulans potius, quam exaggerans peccatorum grauitatem.

Syrus.

Origenes. Christi pietas non exaggerat, sed dissimulat grauitatem peccatorum.

183.

Facies iudicis, cuiusque sententia valde acerba dicitur.

184. August.

Malitia peccanti.

Et ibunt. Seu vt Græcus legit, Abibunt. Mox, sine vlla mora, & ibunt, non sponte, sed coacti, & hæc dixi secundum sensum litteralem; moraliter verò nota, quod non dicitur. Rapiuntur, seu extrahuntur, sed ibunt, sic enim damnatus erit confusus, ac erubescens à facie iudicis, ac sententia damnationis, vt veluti sponte confugiat ad infernales flammis. D. Augustin. serm. 64. de Verbis Domini. Quando venerit, ait, quod non credebat, erubescit, confusus separatur, separatus damnatur. Concluserat autem Dominus, cum hæc verba dicit, ibunt isti in ambustionem æternam. Sic damnatus separatur confusus, ac erubescens à facie iudicis, ac sententia damnationis, vt non rapiatur, sed ipse tanquam vitroneus vadat ad tartareos cruciatus.

In supplicium. Syriacus: Cruciatum. D. verò Augustinus legit, Ambustionem; eo quod damnati amburentur in gehenna, sed non comburentur, nec consumentur, vt annihilentur, vt explicauit quæst. 24. In æternum, quia Deum æternum grauissimè offenderunt. Peccatum enim mortale cum Deo sit iniuriosum, in se habet quandam infinitatem malitiæ, mereturque infinitum supplicium, sed quia infinitum intensiue dari nequit, nec ab homine valet sustineri, hinc reprobis datur poena infinita extensiue, quæ scilicet in sempiternum extendetur. Iusti autem in vitam æternam. Christum concomitantes in celum.

Matth. 24. Ab arbore autem fici discite parabolam: cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis quia propè est æstas.

Num. 33. Ita & vos cum videritis hæc omnia, scitote, quia propè est in ianuis.

VERSIONES.

Vatabl. Ab arbore autem fici discite similitudinem.

Syriacus. Cuius cum iam rami tenebrescunt, & pullulant folia, scitis aduentare æstatem.

Origenes. Cum iam fructus eius tener fuerit.

Arias. Et folia germinauerint, Syriac. n. 33. Scitote eam peruenisse ad portam.

Pagninus. In foribus esse.

ALTER TEXTVS.

Luc. 21. n. 29. Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam, & omnes arbores.

Num. 30. Cum producant iam ex se productum, scitis quoniam propè est æstas.

Num. 31. Ita & vos cum videritis hæc fieri, scitote quoniam propè est regnum Dei.

EXPOSITIO X.



Ab arbore fici: ducit similitudinem potiusquam ab alia arbore, quia ficus erat valde notissima in tota regione Iudææ, & valde passim obuia. Deinde cum sit valde suauis, & dulcis, ad orbis exterminium sumitur in parabolam, nimia enim temporalium felicitas, illorum excidij est præfagium; & etiam ficulnea sub falsa prosperitatis specie dolores introduxit in mundum, sic mentita rerum felicitas mundi, multos dolores generat, & parturit. Cum iam ramus eius tener fuerit, seu factus fuerit mollis, ac leuis; & folia nata, seu vt alij legunt, Germinauerint, scitis quia propè est æstas. Ex consuetudine, ac usitato naturæ ordine obseruato scitis in proximo instare æstatem.

185.

Mentita rerum felicitas dolores generat.

Ita & vos cum videritis hæc omnia, quæ dixi vobis de signis in Sole, Luna, Stellis, quod incipiunt fieri. Scitote quia propè est in ianuis aduentus Filij Dei ad vniuersale omnium iudicium. Lucas ponit, propè est regnum Dei; alij legunt, Redemptio vestra; liberatio nempe ab omnibus miseriis, & pressuris huius sæculi: sicut enim cum ficus frondescit, iamiam aduentat æstas, quæ dulcissimos ficus, ac cæteros fructus producit; sic cum vos videritis electos frondere, ac germinare in multa patientia in hyeme multarum persecutionum, ac tribulationum, quæ eis in fine mundi accident; scitote, ac intelligite, quia propè est eis æstas, ac felicitas omnium bonorum cum suauissimis fructibus æternæ beatitudinis.

186.

D. Lucas.